

D E

RECEPTA GALLORUM LIBERTATE

O R A T I O ,

PRÆSENTIBUS AUGUSTISSIMI GALLIARUM CONVENTUS DEPUTATIS

URBIS PRIMARIÆ PRÆFECTO,

ET LEGATIS MUNICIPIBUS

Habita RECTORIS & UNIVERSATIS Nomine

A D S O L E M N E M

PRÆMIORUM DISTRIBUTIONEM

IN MAJORIBUS SORBONÆ SCHOLIS

*Die Lunæ 12^a mensis Julii, anno Libertatis 2^a 1790,*A FRANCISCO-JOSEPHO-MICHAELE NOEL, Litterarum Professore
in Collegio Ludovici Magni.

Jubente audientium coronâ Edita.

*Libertas quæ sera tamen respexit.....*VIRG. ECLOG. I.



P A R I S I I S ,

È Typographiâ SEGUY-THIBOUST, nec-non Academiæ Pariensis
Typographi, in Plateâ Cameracensi.

1 7 9 0

18

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO



AVERTISSEMENT.

CE Discours n'étoit pas destiné à l'impression. Le vœu flatteur du Public pouvoit seul décider l'Auteur à s'écarter de l'usage constant de ses Prédécesseurs, & il reconnoît qu'il doit cet accueil honorable, bien plus à la bonté de la cause & à la nature des circonstances, qu'à la foiblesse de ses talens. On peut louer la Liberté mieux que lui. Mais il croit qu'il est difficile de la sentir plus vivement; étranger d'ailleurs à tous les intérêts, à tous les partis, il lui rend un culte pur & désintéressé. Il fait qu'une foule de gens ne lui pardonneront pas de s'en être déclaré l'Apôtre, & ce Discours fera un nouveau crime à leurs yeux. Mais il est des gens dont l'approbation est une flétrissure; il ne trouve point d'action dans sa vie, ni de principe dans son cœur, qui puisse mériter leur suffrage. Il est, il fera toujours pour lui un nombre suffisant d'approbateurs, dont il croit mériter l'estime, parce

qu'il n'a jamais perdu la sienne propre ; & quand , malgré les troubles qui ont désolés notre Patrie , malgré les divisions plus effrayantes peut-être des Patriotes que tous les bons Citoyens conjurent de se réunir , l'opinion publique plus forte encore aura achevé la Constitution , alors on lui saura quelque gré peut-être de n'avoir pas été tout-à-fait inutile à la consommation de cet important Ouvrage.





D E
RECEPTÂ GALLORUM LIBERTATE,
O R A T I O.

P A R S P R I O R.

DUM ad insperatam novæ felicitatis auroram commo-
vetur convertiturque tota Gallia, dùm admirabili consensione
ad commune bonum conspirant Senatus Populusque Galli-
cus, penè dixi Romanus, dùm sanctissimo libertatis amore
fervent animi, calent ingenia, dulcissimoque ipsius nomine
pulsantur corda, vibrantur aures; dùm ipse quasi liber-
tatis Angelus tubâ magnâ intonare, & gentes in turpissimo
servitii veterno diù depresso exsurgere jubet, & ad meliora
fata eademque hominibus digniora vocare videtur, AUGUS-
TISSIMI GALLIARUM CONVENTUS DEPUTATI, INTEGERRIME
URBIS PRIMARIÆ PRÆFECTE, LEGATI MUNICIPES, STUDIO-
RUM RECTOR, LECTISSIMA AUDITORUM CORONA, quid co-
gitanti Oratori & parem vestræ attentioni materiem medi-
tanti amplius occurrere possit, & ad mentes summâ cum
voluptate detinendas aptius, quàm si apud vos de eo dicat,

quod in animo omnium ebullit, quod in ore omnium versatur, & pictorum artificium quodammodò imitatus contractam breviori tabellâ stupendæ ac memorandæ rerum conversionis imaginem vobis repræsentet. Juvat enim animo fingere, Auditores, nullum hîc adesse qui non amet, non foveat, non laudet sublimes Populi jugum importunissimum cervicibus excutientis conatus, & quòcumque circumtuli oculos, omnia video plena animorum & roboris.

Favebitis, ut spero, de libertate dicenti, & vos, Augustissimi Legum Latores, quos fortissimos milites eadem habuit libertas, prudentissimos Gallia Consultores, & hoc felici momento Patres juventus nostra tenerrimos. Itaque demonstrare fert animus, neque apud persuasos difficile erit, Gallos cùm in vindicandâ, tùm in tuendâ libertate dignos sese præstitisse qui liberi forent. Quæ duo dùm breviter exequor, vos, Auditores, obtestor, me grandia conantem, & mea tenuitate longè majora, solitâ vestrâ indulgentiâ excipite.



P A R S P R I O R.

FERUNT Epimenidem somno per centum annos, Diis ità volentibus, oppressum ac tandem experrectum, nunquàm potuisse satis admirari quantùm omnia circà se dormientem immutata forent. Idem, ut ità dicam, experiri mihi videretur, & hæc omnia velut animi, torpente corpore, liberioris somnia fuisse penè sibi in mentem induceret, si quis vetera cum novis, annum proximè elapsum cum anno præsentem, conferre voluerit. Reputate enim, Auditores, quàm misero, quàm indigno jugo Gallia premeretur: Reputate præclusos virtuti ad honores aditus, gratiæ, infamiæ auroque patentes; sacerdotia, imperia, magistratus paucis in prædam tradita; venalia omnia, leges, pudorem ac pudicitiam, & habitum in propatulo rerum divinarum humanarumque vile commercium; circumfusus folio, insidiantes regi, inhiantes ærario, insultantes plebi homines factiosos, potentes, pessimos, pecuniam modis omnibus torquentes ac denuò corradentes quoquo pretio, ut novas libidines explerent; partem gentis collucentem auro, delictis circumfluentem, plebeiis cervicibus impositam, plebeiis visceribus incubantem, alteram conflictantem ærumnis, inopiâ pressam, sudore, labore & catenarum onere fatiscentem. Reputate in primis ministros illos, pestem populorum qua nulla importunior, traditâ jam indè à Richelio tyrannidis arte, ab aliis

studiosè ac feliciter excultâ & promotâ, nihil jàm sacri, nihil jàm pensi habentes, pro vicariâ rerum publicarum administratione regno jàm occupato, vanam regibus pompam inanisque titulos indulgentes; in dies sese efferentes insolentiùs & veterem illam Prætorii, sive apud Romanos, sive apud majores nostros, Præfectuum impotentiam imitantes. Horrebat intereà castellis omnium scelerum captiva latè Gallia, & si cui adversus numina misereri nescia quid excidisset, vivus in latomiarum squalorem ac tenebras detrudebatur, irremeabilibus irretitus undis, neque ad lucem ferè unquàm revocandus. Itaque cum ne aures, ne oculi, ne lingua quidè libera forent, obseffa, interclusa filebant vel amicorum parentumque colloquia, & muta etiam atque inanima anxio pavore circumspectabantur, plaudebantque sibi deterrimi homines gentem à se corruptam & enervatam detrectando unquàm jugo esse imparem. Verùm è summâ injuriâ summum jus oritur; & cum nihil est quod ultrà pati possint mortales, nihil est jàm quod pati velint. Enim verò cœcum cœperat increbrescere murmur, veluti magnæ tempestatis prænuntium. Jàm cives plenissimo humanitatis edicto pater optimus invitârat ut in commune quisque afferret quod è republicâ censeret, & imperii saluti pro virili parte consulere; jàm exclusæ prælo gemente liberiùs chartæ volitabant, sibyllinis foliis leviores, sed quæ prismatum instar lucem in consentaneos uniuscujusque oculo colores fractam divisamque impertiverant, homines revocaverant ad pristinam dignitatem, populumque sui juris admonuerant.

His in rerum articulis indicuntur Comitia Gallicæ gentis duobus abhinc sæculis intermissa. Hæc post vanas invidasque Ordinum controversias, nunc circumsepta armis, nuncè Cu-

riâ per satellites exclusa, & novam naçta Curiam *, quam in æternum sacram fecêre, mutuo sese sacramento obstrin-
gunt, se nonnisi restaurato imperio ab invicem discessura, atque ita jactis libertatis haud interituræ feminibus, coalescunt tandem, & novis in dies aucta accessionibus, ægræ patriæ vulneribus medicas manus admoveere properant.

Tunc timere sibi turba illa quæ aulas obsidet, indignata fontem huc usque inexhaustum in eo jam esse ut inarescat, & frustrandam faucium semper hiantium aviditatem sui regiam in auctoritatem studii specioso velo obtegere. Itaque amandatur & exulat si quis sit patriæ aut veræ regis gloriæ amantior, & in regium concilium obtruditur quidquid sit inter tyrannidis satellites odiosius & publicâ jam invidiâ probrosius. Nec mora, decepto rege, urbs illa quâ nulla prius superbior erat aut tranquillior, quæ nihil aliud quàm artium miracula, spectaculorum voluptates, festorum delicias, conviviorum elegantiam jamdudum viderat, quæ musicæ modis & artificum cantu tota strepebat, stupet imminere sibi exteras torvasque legiones, admoveri castra fœta igne, sulphure, tormentis & cætero rerum militarium apparatu. Dùm illa trepidat, quid sibi velit tanta minarum moles inscia, dùm dolet tota Gallia, dùm Comitia gentis indignantur & fremunt frendentque quibus libertati cor salit vividius, oblatam lymphatico unius ducis furore opportunitatem arripit Parisina virtus. Fit clamor ingens, & totam urbem vocat ad arma : ad arma concurrere omnes, & unusquisque de cive miles factus, præsentem, plaudente sexûs imbellis alacritate, tricolori vittâ insignitus, quæ mox receptæ libertatis omni regno quasi vexillum explicabitur, arma cudere, gestare, ipsi senes humeris ævo trementibus

* Le Jeu
de Paume.

induere, excubare, pernoctare, hi somni & cibi, illi rerum suarum immemores, uno eodemque spiritu instincti omnes, uno eodemque impetu simul rapti.

Stabat adhuc arx cœlo edita, miserorum lacrymis, imò & sanguine fœdata sæpiùs, cunctarum exquisitæ tyrannidis acerbissimum furda testis & immisericors, cujus erat ea formido, ut cùm omnibus urbis opulentæ festis ac voluptatibus adesset velut umbra sequax minaxque terriculum, tùm ad externos usque per totam latè Europam pertineret, terrestris Orcus ut ità dicam, in quo Pluto alter & ipse ferreus pallentes umbras arcanisque devotas suppliciis, omni sævitiae genere, exercebat; uno verbo omnia complectar, Bastilia, Auditores, vel Dionysii latomiis, vel Phalaridis æneo tauro, vel omni cruentæ illius quam vocant ac detestantur homines Inquisitionis tumultu orbe toto famosior; stabat illa, inquam, quasi perenne futurum aularum tyrannidis & projectæ populorum patientiæ monumentum, urbiq; & civibus imminens, explosis quibus horrebat undique tormentis, domos proruere ac disturbare posse videbatur, & ad gravem feramque nimis tanti ausi pœnitentiam revocare. Verùm, afflante libertatis genio, quid insuperabile, quid invictum esse possit? Fuerint ista luctuosa tempora quibus minacem lapidum molem, circumductasque fossas perpetuâ uligine torpentes & sublatum pontem, demisso capite & irretorto oculo, cives præterirent. Cades, civilibus impetita dextris, auxiliante fortissimâ militum verè civium manu, cades, Turris vel cœlesti digna fulmine, stupentes ad defuetam inexpectatamque lucem luridos Manes cœlo reddes liberiori, & frustra Condæi victricibus olim armis impugnata, cedes Parisinorum vir-

tuti vitam pro tantâ laude paciscentium, & è summis mœnibus erecto libertatis vexillo signum toti Galliae dabitur è longo veterno excitandi sese & aggestis carcerum rudibus sacrum fraternæ æqualitati concordiaëque templum extruendi. Uno verbo breviori ferè tempore expugnaberis, quàm narrare possim expugnatam, tuisque victoribus laudem asseres omni titulorum pompâ & longâ avorum serie multò potiore.

At verò fama volat, clamatque captam tyrannidis arcem, otiosos & placidos cives in tumultuarios quidem at amore patriæ succensos milites abiisse, mediâ illâ in trepidatione in quâ silent leges, & vis sua jura usurpat mirum esse ordinem, mirum animorum consiliorumque concentum, & suam Luteriæ libertatem parturienti non Francklinium, suum non defuturum esse Washingtonem. Tam stupendo nuntio veluti repentino fulmine iecta diffiliunt clandestina concilia quæ urbi primariæ ultionem, Gentilibus Comitibus exilium aut pœnam, fortissimis humani civilisque juris vindicibus pericula necemque machinabantur. Torquet nocentes animos conscientiaë importuna vox, subit populi furentis metus, & omnes fœdâ fugâ dissipati, extorres, per externas gentes errant, sterilem emendicaturi misericordiam, imò gratissimum populis nequitiaë suis se retibus implicantis spectaculum præbituri.

Quid autem LUDOVICUS noster? Innataë nunc suæ prohibiti, innataë benignitati permissus; memor que reges populis, non regibus populos à primâ mundi nascentis origine fuisse constitutos, adeò non furiosam illam tyrannorum vefaniam imitatur ruinis vastisque solitudinibus imperitare volentium, ut contrâ fatis potens, si suis paterno more con-

fulere, fatis magnus, si liberis imperare possit esse sibi videatur. O regales verè spiritus ! ô regiam verè modestiam, de quâ nunquàm Galli, nunquàm posteri conticescent. Manebunt, ô Ludovice, æri non tam altè quàm cordibus nostris incisa plena illa humanitatis verba, quibus proprium tibi hostem habes, si quis publicæ felicitati obstiterit; manebunt, inquam, & liberis nostris vel ab unguiculis instillata, per ætates nunquàm intermissâ successionē prodita æternum tibi decus afferent. Quòd enim non collata signis Gallica signa patria doluerit, quòd non civili bello distracta ac dilacerata fuerit, quòd non Gallico sanguine tota latè Gallia exundaverit, totum illud Ludovici beneficium est nulla unquam oblivione delendum. Neque his inclusa limitibus hærebit, ô Parisini, vestri in vos Regis benevolentia ac pietas. Pari quidem amore suos omnes complexus, sed ratus ibi patri degendum ubi familiæ pars numerosior, mox inter vos suam ipse sedem eliget. Quotidiè cernetis, quotidiè cernimini, quotidiè subridentem vobis nativâ & puerili venere Infantem augustum, spem ac delicias Galliæ, intueri poteritis, & è tenerâ fronte, ex oculis dulce blandùmque micantibus faustissima quæque liberis nostris ominari.

Ecce autem exultanti Lutetiæ & ad novam veluti vitam totum imperium advocanti accinit unanimis Provinciarum chorus. Ecce, arcani illius ignis adinstar qui corporum venis infusus meatu subit omnia celerrimo & contactu communicatur, ignis ille quem ex omnium animis libertas elicit, cuncta continenti corripit incendio, & totam latè Galliam alati fulminis instar pervolavit. Ereptis per vim aut per malam consulentis pessimè regiminis fraudem armis desuetæ manus instruuntur, novis in signis addita nitet

tricolor

tricolor & patria tœnia, civici Sacramenti Religione obligare se gestiunt omnes, & vel fœminea corda subit igneus libertatis amor. Videre mihi videor hîc bellicas Amazonas, Puellæ Aurelianensis haud absimiles, virilibus agminibus immixtas, viros, fratres, liberos adhortationibus dignis Spartanarum matronarum accendentes; illîc, nunc in Rhodani, nunc in Ifaræ ripis, innumeras fratrum legiones, nullo conditionis discrimine, cœlo teste, coeuntium, & pro Gente, pro Lege, pro Rege mori certorum, aliàs, dirutas inter disjectasque tyrannorum arces, fossis diù horrendâ formidine caligantibus lumen immissum, aliàs civiles fraternasque preces, tripudia, plausus, epulas, uno verbo totam Galliam quasi vastum quoddam templum ex quo ad Deum memores ascendunt populi liberi supplicationes, dignissimum sanè optimo numine obsequium.

Fateor equidem, nec sine acerrimo doloris sensu fateor, fuere nonnulli libertatis juveniliter exultantis ac pro suâ ætate lascivientis errores, dum alii jura antiquitus usurpata, neque ideò injusta minus retinere nimis pertinaciter, alii diuturnioris jugi nimis impatientes, etiam justa per vim eripere nituntur. At ea non ità scœpius, sed angustis circumscripta limitibus, sed præsertim ab exteris patrata esse facinora quis neget? Quem nostrûm fugit infandam erronum colluviam ex montibus & sylvis, latronum perfugiis, externis è regionibus in ejus quam liberam fieri nonnulli indignabantur Galliæ sinum immissam esse. His profectò, Auditores, his magnâ mercede sollicitatis admissa sceleratribuenda sunt, tribuetque æqua posteritas, & æternam iis inuret infamiæ notam qui incendiis, cœdibus omnia vastari maluerunt,

quàm vel minimam honorum opumve pati, patriâ flagitante, decessionem.

Hic quis satis dignas Deo Optimo Maximo grates re-
pendat quod tantis rerum angustis is Galliæ rex conti-
gerit quo nullum potius libera gens elegisset? Cujus non
mentem incredibili voluptatis sensu demulceat vel illa
cogitatio, vetera recentioraque annalium monumenta repe-
renti cuilibet nullam occurrere posse rerum conversionem
quæ, cum stupendas magis secum advexerit vices, tamen
cum minori civium aut imperii malo conjuncta fuerit?
Quis demùm satis mirari possit quòd vindicata sine cæde
libertas, sine prælio, sine cæde tuenda jam esse videatur.

P A R S A L T E R A.

CUM nulla omninò gens unquàm fuerit quæ haud interrupto libertatis beneficio fruita sit, haud scio an ulla populo gloria possit esse major, quàm si cervicem diù jugo detritam inclinatamque erexerit, & pileatam hastam audaci manu resumpserit. Sed in magnis atque arduis benè incepisse non satis est, nisi feliciter inchoata sapienter constanterque perfeceris; quam laudem minimè vulgarem nunc Gallorum propriam ac peculiarem esse quis neget? Non desunt enim receptæ per felicem audaciam ac modò per nimiam aut ignaviam aut securitatem amissæ libertatis exempla. At longè aliter Galli qui mihi toties objectum levitatis crimen nunquàm aliàs videntur acriùs ac certiùs confutavisse.

Cogitate enim, auditores, quàm latè se fudisset errorum, delictorum, furtorum, latrociniorumque omnis generis sylva luxurians, quot emendanda, quot diruenda, quot restauranda essent, quàm ardua surgeret & operosa moles; ita ut ne regalis quidem autoritas tot malis jam par esse posset, & esset eò ventum, non ut pristinam Rex reciperet auctoritatem, sed ut pauci veterem audaciam & intolerandam castellorum importunitatem affectarent, & ex tyrannis altera Galliæ pars, ex servis altera constaret.

Quod nulla unquam Regum vel potentissimorum vel

optimè Reipublicæ consulentium series feliciter tentare potuisset, id eâ fortitudine, quam nullus remoratur obex, nulla tardant pericula, effecit senatûs populique Gallici vis & majestas; & oratori breviori orbe tanta tamque gravia contrahere audenti, exponendi major occurrit quàm Patribus conscriptis aut aggrediendi aut perficiendi difficultas.

Ut enim alicundè exordiar, ecce undique fracta cadunt vincula quibus constricta gemebat Gentis utilissima pars. Supererant enim adhuc hærentia Galliæ visceribus priscae barbariæ vestigia, cum oppressi jugo ferreo miseri coloni, adstricti natali glebæ, cum fundo venales, non tam homines quam rei familiaris instrumenta, agros suos minùs seminibus quam lacrymis & sudore fecundarent; neque fugâ quam debiliori animanti natura suadet sequaci catenæ præripere se fas esset, sed ibidem ad ærumnas nasci, ibidem miseram animam trahere, ibidem mori cogerentur: delentur jura, ut vocabant, non ridicula minùs quàm odiosa, turpes effrænatae libidinis reliquiæ aut piraticæ saltem quam per vias quondam, per fluvios exercuere magnates. Nunc subit tandem pauperes casulas felicitatis aurea lux; jam solutas manus ad superos tollunt agricolæ, atque, ut quondam apud Romanos laureato, ita nunc libero vomere proscissa, nec jam avara, tellus miratur se in uberrimas messes efflorescere.

Ipsa mihi videtur Philosophiam osculata Religio, Religio, immortalis illa cœli filia, mendis & pigmentis cœlestem originem malè dissimulantibus repurgata, omnem exosa servitutem, & libero in primis gaudens obsequio, plaudere jam non miseris, jam juris sui factis hominibus, & rustica ferta floresque, veluti viduæ denariolum, ore sereno excipere. Placet enim illi cultus cordis simplicitati concolor, &

vanam illam pompam dedignatur quâ sæpius homines sibi quàm Deo gratificantur ; neque unquàm immensas illas opes probavit, vel concessas viventium pietate, vel obfessorum in funebri lecto imbecillitati dereptas, eâ quidem mente ut cultus divini magnificentiae infervirent, sed quæ, ut est mos ingenii humani, ab altarium decore ad domuum splendorem, à pauperum subsidio ad sacerdotum luxum facili flexu desciverant. Censebat itaque, quæ olim Ecclesiæ nascenti pauperique ingesserat divitum pietas, ea à ditiori Ecclesiâ senescenti laborantique patriæ restituenda. Lætare nunc, mater alma, nihil erit jam quod maternum pectus excruciet ; ecce recreabunt oculos dignissimi sacerdotum nomine alumni, & apostolis quos excepere similiores, Evangelicæ simplicitati redditi, populis exemplo, pauperi adjumento, Ecclesiæ solatio futuri, mites, modesti, abstinentes, auctoritatem sibi vindicabunt, illâ quam gazis & immensis redditibus debebant longè potiorem. Redibunt nascentis Ecclesiæ aurea vere sæcula, nec sui deerunt Clero Gallicano Ambrosii & Fenelones. Absit enim ut cogitemus aliquot esse à Christo tam alienos aut Evangelii tam immemores ut mala quælibet in patriam accersere malint, quàm divitias abjicere irritamenta cupidinum & luxûs sacerdotibus indigni alimenta, aut si qui sint, quos transversos egerint prava ambitiosorum hominum consilia, & mollior delicati luxûs assuetudo, redibunt ii profectò ad pios verè sensus, nec Vassææ aut Bartholomææ cædis pretio pauperum bona retinere volent. Quis enim turpis lucelli causâ Rempublicam perditum eat ? Quis potius non resipiscat, cum egregiam illam cernat civium omnium æmulationem sua dona in patriæ sinum certatim effudentium. Non ego vos indictas

filebo , matronæ & puellæ , artificii præstantiâ , & civili verè animo nobiles , quæ tam pulchræ concertationi , quasi signodato , præfuiſtis . Ut olim impoſita patriæ altari donaria Romanarum Reipublicæ laboranti præſto fuere , ſic & veſtra , dignæ Romanæ virtutis æmulæ , egenti Galliæ ſuccurrunt ; at quæ priſca earum nomina è memoriâ hominum excidere fama paſſa eſt , eadem profectò veſtra pennâ metuente ſolvi excepta ad ſeros uſque nepotes deferet , & inter Gallicas adſcribet heroidas , nullis earum impares .

His propenſæ civium omnium voluntatis indiciis accenſi Patres conſcripti , novos concipiunt animos , & reſtaurando imperio inſtant , quod tot acciſum ictibus , tot rimis fatiſcens , tot impeditum vepribus accepere . Parcite , vos , Auditores , ſi tot ac tanta beneficia malè retractem , ac ſtriſſim tantum libare poſſim . Quis enim ſatis dignè recolat procul amotam omnem publicorum creditorum violatæ fidei ſuſpicionem ; deturbatas fractasque veteres illas , ut vocabant , corporum moles , quæ ſic unius impotentiae obſtare videbantur ut æternam genti ſervitutem intentarent ; Miniſtros ſeveræ legum queſtioni obnoxios , conſtriſſum catenis fanaticum Furorem , nec jam ſua buſta , ſacros pugiones aut faces incendiarias oſtentantem ? Cui inaudita ſunt ſenſus liberiùs exprimendi , typis liberiùs credendi feliciffima facultas , quod admotum bonis calcar , imminens malis ter-riculum , fulmen tyrannis & pignus libertatis publicæ certiffimum verè dixeris , factæ nullius jam ponderis chartæ illæ minaces ad quas unusquiſque civium expalleſcebat , quæque ſanctiſſimo nomine obſignatæ privatæ libidini inferviebant ; redditæ luci triftes parentum ambitionis victimæ , æternis lacrymis , æternis tenebris devotæ , fratres quos

pares natura fecit lege jam exæquati, ac tandem revocati mores, quibus sublatis, leges quid proficient? Sed cum hæc magna sunt, tum alia longè majora.

Jampridem inoleverat & imis miseræ Galliæ medullis inhæserat pestis quâ nulla capitalior, venalia scilicet Themidis munia; neque ulla fuerat philosophiæ vis quæ ulcus immedicabile sanare potuisset. Itaque plebi vectigal imponi gravissimum ipsa juris necessitas, & cum tenuibus fas non esset ad Divæ penetralia per confertissimos rabularum leguleiorumque cuneos sibi viam facere, eosque à jure repetendo litium dispendia deterrerent, in dies magis debacchari divitum audacia, & versari in lubrico positum inpotentis viciniâ pauperis hærediolum. Vidêre & indoluêre Patres, utque non melius populos evangelico cibo pascendos esse aut melioribus ducibus uti posse crediderant, quàm si suos ipsi elegissent, sic & hoc Sacerdotiigenus putarunt eorum arbitrio permittendum.

Dùm loquor, en subito Martius intonuit fragor; velle videntur circumfusæ Gentes, aut potius duces perfidi, surgentem tanti operis molem interturbare, & felici quodam fato Patres conscriptos eò adducunt, ut de re gravissimâ pronuntient. Sæpiùs enim Reges, inconsulto laudis impetu abrepti, aut vanæ libidini inservientes, aut irrequietam suorum indolem aliò vertendam rati, populos ad carnificinam trudi jubent, & cruentorum aureorumque fluminum pretio semiruta castella, desertos pagos emunt modò restituendos. Igitur ut populorum est statuere quid tributorum ferre valeant, quid recusent humeri, sic totum eorum judicium esse debet, nùm sanguinem, opes profusuri sint, quid læsus postulet gentis honos, quid mali aut boni im-

portare possit res repetendi necessitas. Re diù sedulòque
 expensâ, ex æquo & bono decretum est; sed ità ut amico
 fœdere conspirarent majestas Regia & Gallici populi liber-
 tas. Trepidate nunc, & infesta nobis consilia agitate, invidæ
 gentes; audete conductas mercede servilesque turmas liberis
 cohortibus committere; nihilò segniùs urgebitur tantæ
 molis ædificandæ labor, utque suum Hebræi quondam
 Deo vero templum nihilominus extruxêre, gladium alterâ
 manu, trullam alterâ gerentes, sic nos, dùm consultissimi
 Legum nostrarum Latores templo illi coronidem impo-
 nent, quod humanitati ac libertati sacrum moliuntur, ibi-
 mus, ibimus hosti obviàm, docebimusque, populum qui
 tyrannos depulit, invictum esse ab hostibus, neque arma sibi
 inferri passurum, quæ se nulli nisi provocatum illaturum
 esse profitetur. O memorandam æternùm illam diem quâ
 vicinas gentes his humanissimis verbis Gallia compellavit:
 « Ego utrique mari imminens, meis contenta finibus, solo
 » læta uberrimo, innumerâ prole accincta, omni rerum co-
 » piâ circumfluens, spondeo, polliceorque, me numquam
 » in fines alienos hostili animo impetum facturam, nisi
 » injustâ priùs aggressione laceffitam, meos verò ità defen-
 » suram, ut hosti vel suis focis sit metuendum, ut omnes
 » latè tyranni reformident, ne affixa vexillis meis cum vic-
 » toriâ libertas populos ad arma vocet, & impositum cer-
 » vicibus jugum excutere jubeat». Auditam hanc vocem stu-
 puere gentes, & quidquid exterorum in hanc urbem con-
 fluxerat, tam stupendas vices propiùs spectaturum, ii
 curiam introgressi, pro suâ gente quisque, Senatoribus gra-
 tulabundi venêre, quòd per eos sua jura recepissent homi-
 nes. Nobilem profectò, ac generis prorsùs inusitati legatio-
 nem, quam non reges regibus, sed ipsa meherculè humanitas
 augustissimo

augustissimo & amicissimo hominum concilio misisse videtur, quamque portendere credas eosdem spiritus, superatis aliquandò Pirenæis & Alpibus, per totam latè Europam effusum iri.

Eorum exemplo hùc frequentes adeste, ô vos quoscunque stimulis pungit libertas acerrimis, vos servitutis impatientes! Non jàm lædent oculos affixæ regum nostrorum pedibus & probroso signo infamatæ statuæ, causa dolorum ingens, quæ dùm unius superbiæ gratificatur, belli non unius exarsit incendium. Fœdum hoc spectaculum amovit libertas, & in ejus locum artium miracula aut virtutum præmia, & civium & Externorum oculis subjiciet.

Hoc honorificentissimum totius orbis velut per Legatos gratulantis suffragium expectare videbatur, nobilis Senatorum confessus, ut in pulcherrimam, quam unquàm philosophia suaferit, abdicationem pedibus manibusque descenderet. Valeant jàm tituli illi, arbores istæ foliis, non fructibus luxuriantes, & nobilitatis sæpiùs per nummos aut summam infamiam emptæ, antiquis vè stirpibus insitæ superbia. Valeant contumeliosa illa servitutis insignia, quæ hominibus homines inurere, & ipsis Dei immortalis parietibus affigere mortales non pudebat. Ecce jàm omnes è nobismetipsis nascemur, virtutum nostrarum, non avitarum filii.

Pro tot ac tantis meritis, augustissimi Senatores, quam vobis gratiam rependere Galliæ licebit! Quòd si Vaubanos, Fenelones, Catinatos, & quicumque tenerrimo ergà ægros mortales affectu incaluerint piissimo desiderio ea prosequatur, quàm in vividam memoris animi significationem

erumpere debet , cùm Legum Latores intuetur per tot obices , tot pericula , tot hostes tam benè , tam splendide de patriâ meritos ! Quæ tellus est tam ferax inclytorum virorum parens quæ non Galliæ invidet , tot fortissimos juris Gentium vindices , cum maternâ quâdam superbiâ numeranti ? Quàmque vellem auditores , tot & tanta nomina nunquam tacenda posteris , unâ eâdemque tabellâ cum singularibus uniuscuiusque emeritis conjuncta obsignata vobis exhibere !

Sed vetant temporis angustiae tam grato Gallicis ac jam liberis auribus argumento diutiùs immorari , & ecce jam dulci quodam furore ebrium , nec mei potentem aliò rapit lætabilis ille fragor quo tota nunc latè Gallia personat. Quid sibi vult , ô Cives , effusa illa per vicos , per plateas discursantium , sese amplexantium , plaudentium frequentia ? Quid est quod tota ferè Urbs ex suis sedibus excita ire gestiat obviàm , & ipsa Parisiorum mœnia , ipsa Dei delubra commoveri videantur ? Num redeunt Olympica Quinquennii spatia totius Græciæ concursu celebrata ? Num redeunt usitatae vetera per Saturnalia convivales hospitalesque mensæ ? Num redit decantata illa sæcularis festi pompa , vate digna Horatio , ad quam nec visam aliàs , nec postea videndam populos vox præconis advocabat. Imò longè major panditur diei solemnitatis , quàm nullam cœlo digniorem tellus obtulit. Hic Sequanam vides Tiberi nihilo superbum minùs ; hic Campum Martium Romano non minorem , & ab omni tyrannidis labe per fraternos sudores militaresque lustrationes repurgatum. Hic gramineus agger , conductitiâ minùs quàm liberâ & alacri omnis sexûs , omnis conditionis & ætatis manu , inter lætissimos popularis cantilenæ modos , extructus.

hæc Ara Libertatis, hæc divæ solemnia, hic innumerus fratrum nullo jam ordinis discrimine discordium chorus unanimi sacro, unanimi auspicio libertati litantium, unanimi clamore salutantium. Hæ Legatorum ex omni parte Gallorum in tanti fœderis pompam accessuræ Legiones, hæc inardescencia sole percussio arma non jam Civium formido, sed tutamen, tyrannis præsens exitium intentant. At ecce fremitus secundos & dissonos non sine quâdam jucunditate clamores subitum excipit quale solet esse mentis religiosâ meditatione defixæ silentium. Conticuere omnes, & ab unius ore jusjurandum auspicantis sexcenta pendent hominum millia. Vix aures pepulit inaudita huc usque sacramenti majestas, cum erumpit ad cœlum ex tot spectantium clamoribus velut unicus clamor, Deumque testem advocantium, & in mutuos ruentium amplexos; imò vallium affonantiumque montium antris percussa vox, continenti tormentorum serie tradita, eâdem die, eâdem horâ, eodem animo, frequentia eâdem per totum latè Imperium ingeminata, præeunte Rege, comprobante Galliâ, stupente Europâ, arescentibus pavidâ formidine tyrannis, ipso annuente Deo, eâ religione cunctos obstringet quam nulla lædere audeat impietas, docebitque seu domesticos, sive externos publicæ libertatis hostes, nullâ jam coitione imminui posse stabilitam, assertamque Gallici Populi majestatem.

Vobis verò, ô fortissimi Athletæ, jam Patriæ liberi, qui & ipsi in tanti apparatus societatem pro juvenili parte venistis, quæ via se pandit vobis è gymnasiorum umbrâ mox in publicam lucem evoluturis! Quis subditur aculeus! Ecce jam liberrimus patet industriæ & virtuti campus; ecce datur omnibus per bonas artes ad amplissima quæque

iter sibi moliri, quo non ita pridem per malas sæpè tantùm graffari licebat, & magnificè profectò vobiscum agitur quos in hoc rerum articulo collocavit faustissima nascendi conditio.

Fuerit patrum vestrorum ista laus libertatem armis assertam vobis prodidisse; proditam fortitudine, doctrinâ cæterisque virtutibus tueri vestra sit. Cogitate vos in primis Patriam, defixis oculis, intueri, majoraque à vobis, si fieri possit, certè meliora reposcere, & vos spem regni nascentem virentemque ad mores imprimis, ad religionem, ad legum observationem, ad auri contemptum, quod magnos etiam aliquandò viros turpiter transversos egit, revocare, quibus sublati, nulla jam esset Imperii seniles rugas exuentis in melius immutatio.

At jam nimis diù nostra vos detinuit ad debita victoribus præmia evolare gestientes oratio; sentio, scintillant oculi, labra fremitu dicentem increpitant, & trepidantia quatit corda nobilis anhelitus. Neque vestros ego triumphos moror; en vos palma vocat; ite, meritas lauros victricibus capitibus innexuri, ite, triumphis ornandi quibus præsidere dignantur ipsi Patres Patriæ, & ità ex eorum amplexibus discedite, ut nunquàm ex animis vestris excidat, fronti, his manibus, plaudente libertatis Genio, coronatæ semper liberos præferendos esse spiritus, neque eam excusso feliciter tyrannorum jugo unquam per summum dedecus esse submittendam.

F I N I S.